MASTER NEGATIVE NO. 93-81613-12

AUTHOR:

SEHRWALD, CHRISTIAN FRIEDRICH

TITLE:

DE TRIBUS HORATII CARMINIBUS...

PLACE:

ALTENBURGI

DATE:

1858

Master Negative #
93-87613-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Sehrwald, Christian Friedrich,
De tribus Horatii Carminibus (Od. I, 26; 34; 3.)
Commentatus est Christianus Fridericus Sehrwald...
Altenburgi, ex typographeo Aulico, 1858.
20 p. 26 cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/27/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

TRIBUS HORATII CARMINIBUS

(OD. I, 26; 34; 3.)

COMMENTATUS EST

CHRISTIANUS FRIDERICUS SEHRWALD,
PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ALTENBURGI,
EX TYPOGRAPHEO AULICO.
MDCCCLVIII.

1858

I.

Od. I, 26.

Musis amicus tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis, quis sub Arcto
Rex gelidae metuatur orae,

Quid Tiridaten terreat, unice
Securus. O, quae fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,

Pimplea dulcis! Nil sine te mei
Prosunt honores: hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet sorores.

Quo consilio Horatius carmen vicesimum sextum libri primi composuerit, quamvis illud exiguum sit ab omnibusque fere interpretibus ob singulares virtutes laudatum, tamen nemo videtur recte perspexisse. Nam qua occasione oblata poeta ad scribendum impulsus fuerit, prorsus adhuc latuit. In Horatio autem nihil proficies, nisi quo tempore, quo loco, per quam occasionem singula carmina orta sint accurate cognoveris. Quod igitur Goethius libere quondam professus est, optimum quodque carmen occasioni cuidam deberi, id quam maxime in Horatium cadere videtur. Nostratium vero nemo, quod sciam, Horatianorum carminum occasiones indagandi viam aut subtilius aut verius monstravit paucis illustribus exemplis propositis, in quae omnes intueri debeant, quam, quem ex intimo pectore diligimus ac veneramur, Goettlingius.

Duae exstant de carmine, quod hoc loco primum explicandum suscepimus, sententiae, altera vulgaris, altera Duentzeri propria, quae deinceps nobis recensendae erunt. — Omnes fere interpretes in eo consentiunt, Horatium hoc carmine Lamiam celebrare vel potius nomen ejus immortalitati tradere voluisse. Quod ut probarent cum ad coronam illam, quam a Musis precatur, tum ad verbum *sacrare* provocaverunt, in ceteris, ut in tam brevi carmine decere videbatur, summa usi brevitate. Qua interpretatione quid lucremur ipsum quidem nescire confiteor. Nam quae res potissimum erant exquirendae, velut cur Lamia celebretur, quis et qualis fuerit, quo amicitiae genere cum Horatio conjunctus, quid sibi singulare illud prooemium velit, qua ratione singulae partes carminis inter se respondeant, ubi scripsisse videatur poeta, qua opportunitate temporis commotus, hae quaestiones a plerisque interpretibus paene intactae relictae sunt. Itaque quum ipsi majorem operam horruisse videantur et ne primariis ac simplicissimis quidem interpretandi legibus suffecerint, non est, cur illorum opinionem tam nude propositam, quam nec affirmare nec abnuere possis, pluribus argumentis impugnem.

Diligentius in originem et consilium carminis nostri inquisivit Duentzerus, qui suspicatus est, Horatium odario nostro Lamiam, hominem anxium curisque obnoxium, qui et ipse lyrica carmina componere conatus sit, ut in ea re pergeret, duas ob causas adhortatum esse, quod Musae et animum curis levarent et olim gloria eum ornaturae essent. Haec opinio variis rebus commendari videtur. Primum quod per eam intelligere videmur, cur poeta Lamiae causa Musas invocaverit, deinde quod jam prooemium cum altera odae parte certe aliquo modo cohaeret, tum quod veteres poetae honoris causa sane sibi invicem coronas dare solebant, postremum quod verbum sacrare probabiliore consecrandi notione acceptum est.

At multa obstant, quo minus Duentzero assentiamur. Primum neque in hoc neque in reliquis carminibus, quibus Lamiae mentio facta est ab Horatio, quidquam invenitur, ob quod Lamiam anxium ac morosum fuisse suspicari possis. Quare quum talia sine causa et de mortuis dicta calumnias esse crediderim, ab iis Lamiam, hominem ista culpa ut quam maxime vacuum, pro virili parte defendere justi interpretis officium esse videatur. Ut decebat, jam Orellius Duentzeri criminationem repudiaverat, sed cur Lamiam tristitiae obnoxium fuisse incredibile sit, ejus rei hanc solam causam protulit, quod quo tempore Horatius carmen suum confecisset, illum adolescentem fuisse necesse esset. Quibus vero ipse causis commotus Lamiam adolescentem tum fuisse conjecerit, id prorsus exponere neglexit. Itaque quum Orellii sententiam in hac quidem re probemus, causas ab illo omissas jam ipsi addere totamque quaestionem ita aggredi conemur, ut, ubi opus fuerit, rem altius repetamus.

Is Lamia, cui Horatius carmen, de quo agimus, dedicavit, quis fuerit dubium esse potest: nam tres hujus nominis viros poeta mihi commemoravisse videtur, quorum unum patrem, duos reliquos illius filios fuisse veri simillimum est. Pater autem Lamia nullus fuerit alius, quam ille L. Aelius Lamia, qui, quum praeturam peteret, a Cicerone omnibus viribus Bruto commendabatur. Atque adhuc exstant aliquot Ciceronis epistolae (ad div. XI, 16, 17; XII, 29), e quibus quanta inter ipsum et Ciceronem intercesserit familiaritas praeclarissime elucet. Namque libere et fortiter Lamia Ciceronis salutem defenderat neque ullum periculum pro eo adire dubitaverat jucundissimaque consuetudine ita cum oratore illo patriae amantissimo conjunctus erat, ut is nullo prorsus homine se plus delectari confiteretur. Quae quum ita sint, errare nobis non videbimur statuentes, in Lamia magnum ac generosum animum fuisse, eximium rei publicae amorem, verum ac sincerum studium omnium bonorum et literatorum virorum. Quid igitur probabilius est, quam Horatium ob easdem causas, quibus Ciceronis cum Lamia nata erat amicitia, in illius consuetudinem venisse? Ac mihi quidem persuasi, poetam nostrum non solum Romae, sed fortasse plus etiam ruri in Sabino suo Lamiae domo familiarissime usum esse, in quod neminem adhuc animum advertisse valde miror. Quid? quod Lamiae adeo poetae vicini fuisse videntur. Cujus rei haec exstant gravissima argumenta. Nam primum, nisi ita fuisset, Horatius (Epp. I, 14, 6) villico suo de Lamia fratris mortem Romae, ubi tum quidem et ipse commorabatur, moerente, eo, quo fecit, modo non poterat narrare. Neque enim quidquam addidit, quo villico Lamiam accuratius describeret, immo vero omnia ita expressit, ut quam bene ille Lamiam ejusque domum cognitam habuerit ex quovis fere vocabulo eluceat. Nihilominus fortasse erunt, qui hoc argumentum propterea nullum esse dicant, quod Lamia, etsi nihil nisi poetae amicus interdumque tantum ruri apud Horatium fuisset, tamen villico innotescere potuerit. Quod ita fieri potuisse, nisi alia, quae priorem fulciret, causa accederet, libenter concederemus. Quomodo, ab istis quaero, Horatius tanquam *cornicis auguris* interpres quidam carmine XVII libri tertii Lamiae cras tempestatem orituram esse nuntiare potuit, nisi illo ipso, quo scripserat, die

odarium illud Lamiae reddi poterat? Quod nisi fieri licebat, omnes carminis illius facetias inanes et nullas esse contendo. Quid inde evincitur? Lamiam haud ita procul ab Horatii villa et ipsum in villa quadam habitavisse, id quod et alia ratione ex carmine illo colligi potest. Nam Lamia nisi ruri, ut Horatio videbatur, justo majorem rebus rusticis operam navasset, ab eo commonefieri non poterat, ut vino et porco cum famulis operum solutis Genium curaret. — Aliter quidem hoc tempore Ritterus statuit, cui probabile est, Horatium, quum salubribus ad Bajas aquis uteretur, Lamiam in villa Formiana adiisse et tum carmen, quod modo laudavimus, scripsisse. Nititur autem inprimis in verbis *alga litus inutili demissa tempestas ab Euro sternet.* Contra quam sententiam haec mihi monenda sunt. Primum si Horatius praesens erat apud Lamiam, totum illud carmen ineptum erat. Talis autem poeta, qualis Horatius, nihil facit inepte. Deinde qui tempestate nemus foliis, litus alga stratum iri dicit, eum, quo scribebat tempore, neque in nemore neque in litore fuisse necesse est. Nam quum nemus et litus ea sint loca, ubi apertius quam alibi, quantopere tempestates saeviant, cerni liceat, sine dubio, qui tempestatis vim descripturus est, et nemoris et litoris mentionem faciet. Accedit quod Romanos, quippe quibus mare ubique fere haud ita remotum esset, ut nobis, qui mediam vel superiorem Germaniam incolimus, maris et litorum commemoratio offendere non poterat. Postremum inde, quod Horatius Formias, Lirim, alia cum singulari locorum scientia commemoravit, concludi nequit, Lamiam cum eo tunc temporis Formiis vel in villa quadam Formiana fuisse, velut ne Maecenas quidem in Etruria fuerit, quum simillimo loco ab Horatio *atavis editus regibus* et *Tyrrhena regum progenies* appellaretur.

Postquam patrem et filios Lamias Horatio familiarissimos, adeo ruri vicinos fuisse probavimus, nobis quaerendum erit, in cujus honorem carmen I, 26 scriptum sit. Quidquid de carmine III, 17 et illo loco, qui Epp. I, 14, 6 legitur, statuas, id mihi certissimum videtur, eum Lamiam, cui carmen, quod interpretandum suscepimus, ab Horatio dedicatum erat, eundem fuisse, qui in carmine I, 36 *dulcis* appellatur. Nam quis umquam putaverit, poetam in duobus ejusdem libri, quem totum simul edidit, carminibus haud procul inter se distantibus duos diversos homines nullo praenomine addito Lamias nominavisse? Illum vero Lamiam tunc temporis, ubi Pomponius Numida ex Hispania reversus erat, quod plerique interpretes rectissime a. u. c. 730 factum esse dicunt, admodum adolescentem fuisse primum intelligitur ex aetate ipsius Numidae, quem ex illo, quod attulimus, carmine non solum et ipsum adolescentem, in quem potissimum cadere videntur, ad quae illic poeta invitavit, sed etiam intimum Lamiae amicum fuisse apparet. Facillime autem cognoscitur, haud ita multum temporis praeterlapsum fuisse, ex quo Lamia et Numida ex pueris excesserant togamque virilem sumpserant. Nam versus illi

> Qui nunc Hesperia sospes ab ultima
> Caris multa sodalibus,
> Nulli plura tamen dividit oscula
> Quam dulci Lamiae, memor
> Actae non alio rege puertiae
> Mutataeque simul togae

prorsus sano sensu destituti essent, nisi Numidae in Hispaniam iter primum fuisset, quod majore jam vitae libertate usus procul patria domo susciperet. Simul vero hinc nonnulla de Lamia accipimus nobis exoptatissima. Veri simile enim videtur, eum per illud tempus, quo Numida in Hispania aberat, domi remansisse. Ex eo vero, quod *dulcis* appellatur, quam acceptus Horatio

et ob mores et ob ingenium fuerit videmus. Deinde quod inter pueros ita excelluisse dicitur, ut in ludis ab illis rex crearetur, ex ipsius Horatii auctoritate, qui Epp. I, 1, 59 pronuntiavit

at pueri ludentes, Rex eris, ajunt,
Si recte facies,

quam bonam de ejus indole spem habere licuerit documento esse potest. Postremum omnia mihi sic expressa videntur, ut negari nequeat, Horatium Lamiae Numidaeque pueriles ludos saepissime suis oculis coram adspexisse.

Quodsi ea, quae in superioribus invenimus, jam breviter oratione complectimur, id nobis assecuti esse videmur, ut probaremus, Horatium et L. Aelii Lamiae domui familiarissimum fuisse et eum illius filium quam maxime dilexisse, quem nullo praenomine addito Lamiam vel quod in junioribus veteres Romani amabant, suum Lamiam vocavit (v. 8). Posteaquam haec fere omnia ex ipso Horatio depromsimus, non errabimus, si quae a scholiasta Acrone ad artis poeticae v. 288 traduntur, Aelium Lamiam fabulas togatas fecisse, ad illum juniorem Horatii amicum pertinere statuemus. Jam vero intelligitur, quid potissimum poetae cum illo adolescentulo amicitiam conciliaverit. Horatius enim, quum saepissime in Lamiarum domo versaretur, quippe qui iis vicinus habitaret, in illo puero quantum et amoris artium liberalium et ingenii inesset optime observaverit. Fortasse adeo sperare coeperat fore, ut adolescens ille aliquando in eadem, quam ipse primus intraverat, via laudes ac gloriam adipisceretur. Vehementer igitur dolendum est, quod nobis hodie non jam explorare licet, qua ratione Lamia postea patroni sui spei satisfecerit. Nam omnino concedendum est, nos nisi per conjecturam nihil fere de posteriore Lamiae vita rebusque ab eo gestis exquirere posse. Sed quum temporum rationes non discrepent et illum certe aliquid vel in literis vel in re publica laudis assecutum esse probabile sit, nostro jure eum, quem hic Horatius commemoravit, Lamiam eundem esse putabimus, qui, quum a. u. c. 756 consul factus esset, a. u. c. 786 Tacito auctore supremum diem obiit. Sed quum ne a Tacito quidem praenomen relatum sit, dijudicari nequit, num ille Lucius an Quintus, inter quae nomina interpretes fluctuant, appellandus sit. Miro autem modo annis, quibus Lamia et consulatum egit et defunctus est, ea, quae supra posuimus, affirmari videntur. Nam quum e lege Villia annali neminem, nisi qui annum quadragesimum tertium jam egisset, consulem creari liceret, Lamiam, si minimum statuimus, a. u. c. 713 jam natum fuisse necesse est. Sed quivis intelligit, id et aliquot annis prius fieri potuisse. Cum his temporibus jam congruunt ea, quibus quo tempore Horatius carmen, de quo agimus, scripserit significatur. Nam rectissime interpretes quidam ex iis, quae de Tiridate ab Horatio commemorata sunt, illud carmen circa a. u. c. 725 scriptum esse judicaverunt. Quae quum ita sint, hanc fere tabulam temporum describere licebit:

a. u. c. 710 Lamia natus est;
a. u. c. 725 Horatius carmen I, 26 scripsit;
a. u. c. 730 Pomponius Numida ex Hispania rediit;
a. u. c. 756 Lamia consul factus est;
a. u. c. 786 Lamia supremum diem obiit.

Antequam, quae his fastis alia efficiuntur, eloquimur et in usum nostrum convertimus, ad Duentzerum redeamus, a quo huc usque digressi sumus. At jam non opus erit, Lamiam aut morosum hominem fuisse aut anxium multis demonstrare. Nam credo equidem, quem pueri regem creabant, quem Horatius et dulcem et suum appellabat, qui ipsa prima adolescentia florebat, tristissimae illi melancholiae sorti obnoxium non fuisse. Hoc igitur Orellius recte viderat. In eo vero cum Duentzero consentio, Lamiam propter indolem suam poeticam Horatio carum fuisse. Sed quae praeterea Duentzerus addiderat, omnia mihi ficta et falsa videntur. Nam ut de gloria taceam, quam

Lamiam, si poesi operam daret, assecuturum esse poeta promittat, quis putaverit illum adolescentem, quem quindecim fere annorum fuisse cognovimus, ab Horatio eo, quem ipse poeta Epp. II, 2, 96 descripserat, modo tanquam praeclaro quodam opere confecto coronari vel adeo, ut in poesi pergeret, propterea, quod Musae animum curis levarent, excitari potuisse?

Fastis igitur illis supra a nobis propositis ostenditur, Lamiam tum, quum Horatius carmen nostrum scriberet, decimum quintum vel sextum aetatis annum egisse. Jam quaerere licebit, quamnam e Romanorum more talis, quale nostrum est, carminis scribendi occasionem illi aetatis anni praebere potuerint? Equidem carminis I, 36 ratione habita, ubi Lamiam cum Numida togam mutavisse ipse poeta tradidit, conjecerim, Horatium illo carmine Lamiae eo festo die, quo togam virilem sumturus erat, gratulari voluisse. Constat enim illum diem magna propinquorum amicorumque frequentia celebratum esse. Atque quis negaverit, quamquam nihil de ea re a veteribus traditum est, pueris hoc die inter alia munera potissimum coronas ab amicis oblatas esse? Quibus positis omnes carminis partes jam bene inter se respondere infra videbimus. Poeta autem Lamiae gratulaturus non ipsum allocutus est, sed prorsus alia neque vero ideo minus urbana gratulandi forma usus Musas pro Lamia suo invocavit. Quam singularem carminis formam etiam in carmine I, 36 adhibuit. Quare mihi persuaserim, Horatium, quum de Lamia et Numida, amicis junioribus, ageret, ne nimis eos honoraret, de industria ac consilio illo indirecto, quod dicere possis, orationis genere usum esse. Quae quum ita sint, non dubito, quin carmen III, 17, de quo supra disputavimus, ad patrem Lamiam scriptum sit.

Sumamus igitur, poetam, quum e Romanorum more Lamiae suo coronam donaturus esset, Musas, a quibus ipse omnia sua habebat, precatum esse, ut eam, quam ipse debebat, coronam necterent. Horatium igitur ab initio veram coronam intellexisse etiam verbis *apricos necte flores, necte meo Lamiae coronam* satis indicatur. Nam ex apricis floribus Romani talibus temporibus coronas procul dubio nexuerint. Atque causam insuper addidit, cur Musa quidem potissimum apricos flores paratos habeat. Musa enim *fontibus integris gaudet,* prope quos hos flores optime crescere potuisse poetae sententia fuerit Musam invocantis *O quae fontibus integris gaudes.* Sed et alia causa fuisse videtur, cur apricos quidem flores diceret. Nam quum ex conjectura tantum annum, quo Lamia togam virilem sumserit, definire potuerimus, multo majore veritate diem, quo id factum sit, invenire licet. Togam enim pueri Romanorum Liberalibus, id est die decimo sexto mensis Martii, mutare solebant. Jam quivis intelligit et apud nos et in Italia hoc anni tempore eos flores in coronas eligendos esse, qui in uberiore solis luce nati sint. Atque eadem causa, cur flores in sole ortos apricos vocarent, Romanis eum mensem, qui Martium excipit, Aprilem appellantibus exstitisse videtur. — Poeta autem, postquam causam interposuit, cur Musae hoc coronae pro se nectendae munus imposuerit, statim, qualem re vera coronam intellexerit, accuratius explicavit. Apertis enim verbis jam omnes novem Musas, ut Lamiam lyrico carmine consecrent, implorat.

Sed paulo pedem hic sistamus et pauca de quibusdam poetae verbis contra interpretes moneamus.

Bentlejo praeeunte nonnulli interpretes, inter quos et Meinekius, *possunt* scripserunt pro eo, quod in plerisque libris manu scriptis invenitur *prosunt.* Quodsi in vulgari carminis interpretatione perseverassem, dubium mihi esse concederem, utrum hoc an illud praeferendum sit. Sed quum poeta Lamiae gratulaturus sit et Musas puerum quasi initiare jubeat, non dubito, quin ab ipso Horatio spretum illud *prosunt* profectum sit. Nam quicunque alii gratulatur, ut id, quod gratulandi causa vel agit vel loquitur, qui sunt ejus honores, illi quam plurimum prosit, etsi non semper ex pectore, tamen lingua cupere solet. Unde illud *prosit* nostrum exortum

est, quo et aliis sternuentibus et primo quoque annorum die uti apud nos moris est. Quare quum omnibus iis temporibus, quibus quis novi quid suscepturus erat, Romani usitatissima illa formula *quod bonum, faustum, felix fortunatumque sit* sacris praefari solerent illiusque formulae sententia lectione *prosunt* strictius exprimatur, eam huic loco omnium maxime accommodatam esse apparet. Ac quis immemor est Horatiani illius versus, ex quo poetae *et prodesse volunt?*

Duentzerus verba *hunc fidibus novis, hunc Lesbio sacrare plectro* ita interpretatus est, ac si Horatius a Musis petivisset, ut Lamiam aliquando praeclarum lyricum poetam redderent. Quam ob rem fidibus et plectro dativos esse voluit. Quae verba, quamquam, nisi alia res impediret, ita construi posse haud negaverim, tamen simplicius ideoque verius pro ablativis accipimus, quales Od. I, 36 in simillimo loco

Et thure et fidibus juvat
Placare

recurrunt. Accedit quod Duentzeri interpretandi ratio prorsus a consilio abhorret, quo a poeta totum hoc carmen compositum esse nobis quidem persuasimus. Nam quum certe aliquis vel pater vel sacerdos vel quicunque alius eum, qui toga mutanda e pueris excessurus erat, liberiori vitae generi initiare deberet, quod plerumque in Capitolio factum esse accipimus, ut eo munere ipsa Musa fungeretur facete et urbane poeta optavit. Nobis autem *sacrare* germanice die Weihe geben vertere licet.

Ad Lucret. IV, 1 Lachmannus haec notavit: Horatium quoque ad initium libri potius respexisse putaverim, cum illa verba quae sunt *juvat integros accedere fontes* in id carmen, quo primo *fidibus novis Lesbioque plectro* Alcaeum exprimere ausus est, sic transtulit, *O quae fontibus integris Gaudes, I,* 26. — Hanc sententiam clarissimi illius viri falsissimam adeoque mirabilem esse haud difficile est intellectu. Duo autem Lachmannus illo loco statuerat, Horatium et verbis *quae fontibus integris gaudes* locum quendam Lucretianum imitando expressisse et in eo, de quo agimus, carmine primum strophas ab Alcaeo inventas adhibuisse. Nemo negaverit, Horatium inter alios veteres poetas Latinos etiam Lucretium lectitasse. Tam bonam de Horatii studiis opinionem habere, etiamsi alia argumenta non exstarent, haud magni quidem periculi est. Ex illa lectione poetam hoc vel illud, quo elocutionem, quam rhetorici dicunt, emendaret, depromere potuisse, non est, quod miremur. Sed poetam hic prorsus suae rei eique plane diversae intentum simile quid atque Lucretio sibi dicere licere ita quidem, ut illum respexisse dicere posses, profiteri voluisse cum per se tum vel maxime ob eam causam incredibile est, quod Horatii verba plane aliud atque Lucretii exprimunt et solo fortuito nomina integri fontes, flores, coronae eodem ordine apud utrumque poetam leguntur. Utinam aliquando et in his rebus illi, qui se in primis criticos profitentur, eam, quam profitentur, artem velint exercere. Nam perpauci erunt loci, in quibus tuo jure poetas alterum ad alterum respexisse dicere liceat. Excipio autem parodias, quas dicunt, et eos locos, in quibus alter alterum vel aequare vel superare voluit, velut Sophoclem in choro illo tritissimo *πολλὰ τὰ δεινὰ* ad Aeschyli Prometheum respexisse multas ob causas mihi veri simillimum est. At cuivis prudenti ut vera videre, ita etiam idem accommodatum verbum reperire licet. Ac duo quamvis iisdem fere verbis usi tamen aliquando quid prorsus inter se contrarium dicere potuerunt, nam rectissime se habet juris consultorum illud si duo faciunt idem, non est idem sed aliud. Horatius igitur explicaturus, cur Musis potissimum aprici flores praesto essent, quomodo illum Lucretii locum respicere potuit? Lachmannus autem id, quod omnibus viribus caveas ne facias, ubi non necessarium sit, commisit, ut, quod proprio sensu accipiendum erat, allegorice interpretaretur. Multo etiam mirabilior

altera ejus sententiae pars est. Nam quis umquam putaverit, Horatium ante a. u. c. 725, quo jam annum tricesimum sextum ageret, versus Alcaicos non fecisse? Quis omnino tale tempus definire audeat, quum Horatium inde ab adolescentia lyrica carmina composuisse, ne dicam necesse, tamen sit veri simillimum? Quid? quod infra carmen I, 34 circa a. u. c. 712 scriptum esse demonstrabimus. Itaque quum prorsus alio modo, qua re Lachmannus in errorem suum inductus sit, intelligi nequeat, id solum restat, ut eum falsa verbi *novis* interpretatione deceptum esse suspiceris. Nam statuisse videtur id carmen, quod quis novis fidibus cecinerit, primum ejus generis fuisse. Quis non videt, novis fidibus non nisi novum carminum genus significari? Ejusdem autem generis permulta carmina esse possunt, quorum et primum et ultimum novum appellare liceat. Itaque Horatius, quum novas fides dicit, non metrum aliquod, sed totum novum lyricae poeseos genus a se in Latium tralatum in mente habet, de quo et alibi gloriari solet. Quam igitur absurdum esset, ut de nimia loquendi obscuritate taceam, si quasi gloriaturus hoc breve carmen primum esse dixisset, quod metro Alcaico feliciter ad finem perducere sibi contigisset? At ex ea, quam ipsi supra proposuimus, totius carminis interpretatione facillime hic locus intelligitur. Licet alii aliis carminibus saepissime pueris togam mutaturis gratulati sint, talibus, quae Horatius primus in Latio cecinit, nemo ante eum festo illo die uti potuerat. Quare Horatius, si ipsas Musas invocat, ut Lamiam ejusmodi carmine consecrent initientque, quam eximio honore amicum suum juniorem ornaturus sit satis ostendit.

Jam exponamus, qua ratione prior carminis nostri pars connexa sit cum ea, quam modo explicavimus. Videtur autem mihi illa nihil aliud esse quam quasi *Favete linguis* quoddam poetice amplificatum. Erat enim e more Romanorum in solemnibus actionibus, ut omne malum omen abesset, etiam omnia, quae malae notae essent, verba, cogitationes, alia quam maxime procul habere. Quo modo igitur, quaero, poeta ad festi illius diei solemnitatem se ipsum melius poterat praeparare, quam in hunc quidem diem tristitia et metu, id est omnibus mali ominis cogitationibus quam celerrime et quam maxime procul a se abesse jussis? Nam ubi nil nisi laetitia et spes regnare debet, ibi tristitia et metus sunt expellenda. Nos ex linguae nostrae ingenio tales res abominandas (sit venia verbis) vel ad diabolum vel ad cuculos relegamus, Horatius tristitiam et metus ventis in mare Creticum portanda tradidit.

Sed cur verba *Musis amicus* in ipso carminis fronte collocavit? Sine dubio, quod, quum Musis, necessario et Lamiae amicus et praesertim hac occasione oblata tamquam Musarum sacerdos esset, quem se ipsum Od. III, 1, 3 nominavit. Musarum autem sacerdos deas ad id provocat, quod facere eas decere satis fidenter profitetur. Atque cur deceret jam supra exposuimus. Nihil igitur ipse in Lamiae honorem agere videtur, omnia agit Musarum loco.

Verba *quis sub Arcto rex gelidae metuatur orae* interpretibus justo majores praebuerunt difficultates. Bentlejus *quis* pro *quibus* esse voluit multique ejus exemplum sunt secuti. Sed ipsa anaphora, quae ter in hoc carmine repetita est, *quis* nominativum esse ostenditur, ut *quis* et *quid* ex omni parte sibi respondeant. Accedit quod poetae oratio prorsus languida evadet, si pronomine *quis* pro *quibus* accepto *gelidae orae* genitivos esse subjectivos statues ad verbum rex additos. Quo facto idem poeta temere bis dixisset. At multo aliter res se habet. *Quis sub Arcto rex* arctissime eodem modo conjuncta sunt, quo Graeci inter articulum et substantivum aliquod attributi loco interponunt praepositionem cum alio substantivo. Quo comprobato dubium esse nequit, quin *gelidae orae* sint dativi e Graecorum more pro praepositione *a* cum ablativo positi. Inde autem efficitur regionem sub Arcto sitam et gelidam oram diversa loca, illam barbarorum, hanc Romanorum esse potestatis. Horatius igitur dicit, se nihil curare, quis in ea

2

regione, quae extrema septentrionem versus sita sit, barbarorum rex metuatur ab iis, qui Romanorum imperio subditi illius finibus sint proximi. Germanice dicere liceat: Welcher König im Norden sich dem (unserem) kalten Striche furchtbar mache.

II.

Od. I, 34.

Parcus deorum cultor et infrequens
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare atque iterare cursus

Cogor relictos: namque Diespiter,
Igni corusco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum,

Quo bruta tellus et vaga flumina,
Quo Styx et invisi horrida *Taenari*
Sedes Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis

Mutare et insignem attenuat deus
Obscura promens; hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

Carmen tricesimum quartum libri primi magnam adepta est celebritatem, ex quo a Lessingio a criminationibus eorum, qui Horatii erga deos pietatem suspectam reddere tentaverant, est liberatum. Quum omnino in diversas partes interpretes discesserint et fere omnes, quae proponi posse videntur, sententiae jam ab aliis sint prolatae, sane haud facile erit, quod ipse sentias, ceteris quoque probare. In hoc quoque carmine eae, quas supra proclamavimus, leges valebunt ideoque ut, quo consilio carmen illud compositum sit, perspiciamus, quo tempore quibusque rerum conditionibus poeta ad scribendum se accinxerit, necessarium erit definire. Quod ut assequamur, apprime animus attendendus erit et ad insanientem illam sapientiam, cujus vinculis se obstrictum fuisse Horatius libere conqueritur et ad tonitrua fulminaque Jovis, quae quo spectent et num ficta an vera fuerint adhuc non liquet. Quae posterior quaestio praecipuis difficultatibus propterea obstructa est, quod allegorica interpretandi ratio num omnino admittenda sit, dubium esse potest. Multi autem fuerunt et praeter ceteros Duentzerus, qui nimio allegorias indagandi studio Horatii cogitationes saepe in contrarias verterint. Esse vero apud poetam nostrum locos, qui, nisi allegorice, sano modo explicari nequeant, minime negaverim in eorumque numero et illum refero, de quo hic nunc acturi sumus.

Quid est, quod Horatius hoc carmine exprimere voluit, quod neque ad alium hominem neque ad deum, sed potius ad se ipsum direxisse videtur, ut eum quasi sermone quodam intimo hic secum collocutum esse rectissime dicas? Quid est, de quo hic secum egit? Ut in universum loquamur, rationes sibi reddidit sententiae olim abjectae, nunc rursus receptae. Sed quaenam fuit sententia illa quibusque causis adductus in eam tanquam in viam prius omissam rediit?

Plerique interpretes opinati sunt, Horatium, postquam longum temporis Epicuraeorum disciplinae addictus deorum cultum ac venerationem justo magis neglexerit, propter fulmen subito per sudum coelum demissum Epicuri philosophia abjecta ex vulgari Romanorum more rursus pium ac religiosum factum esse. Concedamus, Horatium re vera dicere voluisse, per serenum coelum tonuisse et fulgurasse. Neque enim negandum est, tonitribus ac fulminibus animos humanos saepe ita commoveri, ut jam plane aliter sentire incipiant, quod ut probetur non opus erit ejus, quod quondam Luthero nostro accidisse dicitur, mentionem facere. At quid Horatius dixit? Ne id quidem, sereno coelo tonuisse et fulgurasse. Talem sententiam prorsus aliter expressisset, ut Vergilius, apud quem Georg. I, 487 haec verba leguntur:

Non alias coelo ceciderunt plura sereno
Fulgura.

Sed omnes fere recentiores interpretes, excepto uno Ameisio, falso interpungentes sententiam illam vi et artificiis demum in hunc Horatii locum intruserunt. Nobis cum necessitate, quod jam supra fecimus, comma post *dividens* ponendum esse videtur. Quo facto id, quod Horatius dicturus erat, hoc erit: Jupiter magnam tempestatem subita serenitate discussit. Plane simillimus locus apud Curt. Ruf. X, 9, 3 invenitur, quem hic adscribere non abs re erit: Proinde jure meritoque populus Romanus salutem se principi suo debere profitetur, qui noctis, quam paene supremam habuimus, novum sidus illuxit. Hujus hercle, non solis ortus lucem caliganti reddidit mundo, quum sine suo capite discordia membra trepidarent. Quot ille tum extinxit faces! quot condidit gladios! *quantam tempestatem subita serenitate discussit!* Non ergo revirescit solum, sed etiam floret imperium. Hujus Curtiani loci lectores ut etiam in sequentibus memores sint rogaverim. Primarium igitur, quod Horatius dicturus erat, sed interpretes secundo loco posuerunt, hoc est, Jovem nubes et caligines discussisse. Quae reliqua illo loco leguntur, addita sunt, ut quot mundi partes quantaque vi Jupiter concusserit intelligeretur. Verba autem *plerumque per purum* ita accipienda sunt, ac si poeta dixisset *per maximam partem coeli tunc senerati.* Prorsus similis locus exstat apud Livium 45, 9: idemque finis incluti *per Europae plerumque* atque Asiam omnem regni, qui locus non aliter ab eo, de quo hic agimus, differt quam *per medium noctis* a *per mediam noctem.* Porro ne id quidem, quod interpretes de Horatii philosophia dixerunt, quantum ex ipsius scriptis judicare licet, recte se habet. Nam poeta eo, quo ipse voluit, sensu Epicuraeus esse numquam desiit. At neque Horatio neque alii cuiquam unquam licuerit Epicuri philosophiam insanientem sapientiam appellare. Nam qui insanit, is nimia cupiditate aliqua abreptus tantopere modos a natura stabilitos excedit, ut non possit non se ipsum pessum dare. Epicuraeos igitur, si insanientis sapientiae crimini erant obnoxii, quam maxime cum naturae legibus et in vita et in dictis scriptisque repugnare cupiditatibusque indulgere necesse erat. At inter omnes constat, illos quidem praeter ceteros naturae vestigia pressisse et summo in naturae leges obsequio vitam quam laetissimam ac jucundissimam reddere studuisse. Itaque poetam, quum Epicuri mentionem ne minimam quidem per totum hoc carmen fecerit neque in cujus philosophi castra postea rediisset ullo verbo indicaverit, de philosophorum sectis omnino hic nihil cogitavisse certissimum est, id quod jam a Lessingio, quamquam alia via ac ratione, probatum erat.

Examinetur jam ipsa Lessingii opinio, quae quidem non una, sed triplex est. Miramur autem praestantissimum illum criticorum, quum a vero haud procul abfuisse videatur, in tantos errores induci potuisse. Priusquam autem in singula accuratius inquirimus, de eo, in quo tota ejus sententia nititur, agamus. Lessingius enim et ipse sibi persuaserat, Horatium vera fulmina cogitavisse. Id omnino negaverim et quidem ob has causas. Primum, si Lessingii ratio recte se haberet, ab Horatio aliter tempestatem illam describi necesse erat. Poeta enim sine dubio

tum dixisset, qualis sibi e regione, ubi illo tempore versabatur, per eam partem coeli, quam ipsi conspicere licebat, visa esset. Sed tantum abest, ut de loco ejusque partibus, ubi eum tum versatum fuisse ponendum esset, quidquam dixerit, ut quasi de industria Jovem totum mundum omnesque ejus partes summas, imas, extremas concussisse sat multis verbis explanaverit. Deinde nemo adhuc ullo modo praesens tempus verbi *concutitur* explicavit, quod Horatius, si Jovem re vera tonantem audivisset, adhibere non poterat. Sed ipsum hoc praesens summi est momenti. Nam ostendit, poetam id, quod sub tempestatis imagine repraesentavit, tum, quum scribebat, durans ac duraturum cogitavisse. Etenim quum phaenomena illa, velut fulgura, tonitrua celerrima sint, ut cum iis poetae saepissime alias res celeritate perspicuas comparare soleant, ipso verbo *concutitur* manifestatur, totum illum de Jove tonante locum poeticam esse imaginem. Quod et alios poetas facere videmus, ut singularem seu vitae humanae seu naturae actum tanquam veste quadam mythis, ut ita dicam, exornarent, id hoc loco ab Horatio factum esse mihi certissimum est. Quare non possum non putare, poetam commutationem quandam rerum deorum auctoritate factam Jovis per mundum ingressione a se ficta significare voluisse.

Ut jam ad singula transeamus, primum de eo quaeramus, quod Lessingius Horatium hac oda simplici ratione exprimere voluisse dicit, quomodo animo affectus fuerit tempestate quondam cum magno fragore tonitribusque subito exorta. Quam sententiam, quum falso illo argumento nitatur a nobis supra destructo, non opus erit novis argumentis allatis evertere. Ut ipsam reprobamus, ita laudamus ea, quae a Lessingio ad illam confirmandam de vinculo, quo affectus et poesis cohaereant, in universum ingeniose sunt addita.

Quae secundo loco Lessingius protulit, veremur, ne consilium, quo ductus hoc carmen interpretandum susceperat, plane irritum reddiderint, adeo effecerint, ut is, quem ab aliorum criminibus defendere voluerat, nunc in majora pericula adductus denuo servandus esse videatur. Nam Horatium Augusto, quem tonitrua ac fulgura paulo infirmius expavisse fabulosus ille Suetonius tradidit, eo adulatum esse, quod se ipsum illa jam expavescere coepisse simularet, tantopere poetae moribus repugnat, ut Lessingium nostrum talia vel potuisse eloqui vehementer doleamus.

Tertiam addidit suspicionem, ex qua quam prope ad verum accesserit luculentissime apparet. Conjecit enim poetam Philippis Romam reversum hoc carmine, quomodo, ut partes Bruti et Cassii desereret, quasi divinitus impulsus fuerit, explicare voluisse. Quam sententiam equidem, etsi de mirabili illa animi commutatione ab eo dissentio, tamen in universum probaverim et quidem ob duas causas. Primum quod, quibus temporibus poeta scripserit, per eam cognosci licet, deinde quod Lessingius respiciens, quid tum Horatius de re publica senserit, hoc carmen quasi pro politica quadam palinodia habuisse videtur, ad quam sententiam et ipse accesserim. At ea, quibus, quae hoc ultimo loco posuit, defendere conatus est, illum, qui ingenii acumine tantopere excelleret, nequaquam decebant. Nam quis umquam putaverit, Horatium, quum Athenis admodum juvenis literis operam daret, tali modo tale carmen de fulmine in Juliae sepulcrum immisso canere vel, quum hoc carmen post pugnam apud Philippos commissam scriptum esse Lessingius conjecisse videatur, aliquot annis post de re levissima talia prae se ferre potuisse? Maxime vero mirandum est, quod Lessingius hoc errore suo eo abductus est, ut lectoribus persuadere auderet, deos, quos se raro veneratum esse ipse Horatius confitetur, Caesarem et Augustum fuisse. Insanientem autem sapientiam de Bruti sociis dictam esse non negaverim.

Ut, quae adhuc argumentando sumus assecuti, breviter comprehendamus, id evicisse nobis videmur, Horatium neque vera fulgura certo quodam tempore demissa intellexisse nec aliud, nisi quomodo de re publica aliter sentire coepisset, explicare voluisse. Jam vero restat, ut, quae sit nostra de hoc carmine opinio, accuratius exponamus.

Nisi me omnia fallunt, Horatius jam adolescens in eorum erat numero, qui, quum sibi persuasissent, nullam rei publicae salutem esse, nisi in unius principatu, C. Julio Caesari studere coeperant illique omnia bona deberi posse cognoverant. Id quod ex his rebus concluserim. Ea, quae Horatius Sat. I, 6, 71 sqq. de patre suo narravit, quanta omnibus in rebus ille temperantia excelluerit, ostendunt. Quis igitur miretur, poetam ut alia, sic hoc quoque patri debuisse, ut de rei publicae statu jam a pueris rectissime sentiret? Quod quamvis audacter aliis dictum videatur, tamen et iis probatur, quae Horatius Athenis primo de Caesaris interitu perculsus nuntio quasi divino quodam afflatu cecinisse videtur. Nam carmine illo quarto decimo libri primi, quo interpretes tam diu jam vexati sunt, equidem poetam nihil aliud expressisse arbitror, nisi quae de rei publicae salute nuntio illo accepto metuere coepisset. Navis enim, quam illic alloquitur, sane est res publica, quae ne Caesare exstincto, a quo quasi in portum quendam subducta esset, rursus ventis fluctibusque obrueretur profecto verendum erat, quod se interemto factum iri ipse Caesar augurasse dicitur a Suetonio Jul. Caes. 86: alii ferunt, dicere solitum, non tam sua quam rei publicae interesse, uti salvus esset: se jam pridem potentiae gloriaeque abunde adeptum: *rem publicam, si quid sibi eveniret, neque quietam fore, et aliquanto deteriore conditione civilia bella subituram.* Nonne jam habes testimonium ipsius poetae ejus sententiae, a qua postea tamquam a recta via tam temere recessit? Jam inter omnes constat, Horatium, quum Athenis literis incumberet, a Bruto ejusque sociis, ut arma contra triumviros caperet, commotum esse. Nam quod aliis accidit et quidem vel aetate provectioribus viris, id et adolescenti quondam accidisse, non est, quod multis miremur. Horatius igitur iis, quae Brutus et Cassius et sperabant et pollicebantur, adeo est deceptus, ut a legibus patris auctoritate sancitis paullisper desciscens cum illis, ut ipsum postea dixisse verisimile est, insanire inciperet. Quae a patris sapientia defectio quid efficeret necesse erat? Ut Horatius, qui ut deorum vim ac potestatem etiam in rei publicae fatis agnosceret, a patre institutus esset, tum ipsos deos negligere coepisset. Quod ita fuisse veri simillimum est. Neque enim quidquam impedit, quin eam sententiam, quae postea Caesarum imperio stabilito vigebat, jam illis temporibus ortam esse putemus. Sexcentis enim cum ceterorum scriptorum, tum maxime poetarum, ut Horatii, Vergilii, Ovidii, aliorum locis luculentissime ostenditur, Romanos, ut summa rerum ad unum imperatorem transiret, deorum auctoritate effectum fuisse pro certo habuisse. Quod nisi sumas, plane intelligere non poteris, quanto studio vel summi ingenii viri Caesarum imperium inde a primis urbis initiis repetiverint. Quod id faciebant, firmissimo argumento est, Romanis rei publicae fata a certo deorum consilio repetere, qua animi essent indole, quam maxime opus fuisse. Ut autem Caesarum imperium ad deos referebant, ita rei publicae liberae defensores a diis destitutos esse putasse videntur. Quod ipse Horatius carmine illo quarto decimo libri primi a nobis supra laudato indicavit, navem illam his verbis increpans:

Non di, quos iterum pressa voces malo.

Quae quum ita sint, Horatium, cujus aetate animos hominum omnino vidimus aliter de deorum regno sentire coepisse, suam de mundi imperio sententiam olim jam a patre acceptam, paullisper abjectam, denuo recepisse equidem existimaverim. Exoptatissimum igitur est, quod qua ratione Horatius de rerum mutationibus illis cogitaverit, aliunde quoque intelligi potest. Postea enim, quum Augustus in dies magis in Caesaris locum successisset, adamasse videtur victoriam ab illo de rei publicae liberae propugnatoribus et de Antonio ejusque sociis reportatam comparare cum illo bello, quod a Jove contra Titanas gestum erat. Quod nobis felicissime fecisse videtur, quum etiam Augusto contigerit, ut orbem terrarum in meliorem formam ac ordinem redigeret Bruto et Cassio oppressis, qui quasi Titanum essent aemuli. Itaque quum haud difficile sit observatu,

quanto amore Horatius ex illis Titanum pugnis sibi imagines depromserit, mihi non errare videor statuens, etiam in hoc carmine ejus animo illa coelestia certamina obversata fuisse. Nam qua ratione totum mundum numine suo concutientem fecit Jovem, eadem illum in Titanas incucurisse maxime consentaneum est. Ac quid poetae consilio accommodatius esse potuit, quam ut, quum in terris novus rerum ordo exsistere coepisset, Jovem quasi iterum Titanibus quibusdam prostratis mundum summum, imum concutientem fingeret? Quid? quod Horatius hoc carmine quasi Promethei partes cum Jove reconciliati ita egit, ut, nisi alia vetarent, existimarem hoc carmen revera a poeta Prometheo tributum esse.

Quod si ea, quae huc usque diximus, recte se habent, intelligitur, cur Jupiter totum mundum ita concutiens expressus sit, ut eo, quo poeta scribebat, tempore illius per orbem terrarum ingressio efficax esse non desierit. Nam post pugnam Philippensem jam omnes fere res tantopere conversum iri, ut ima summis viderentur mutata esse, profecto divinare licebat.

Sed etiam extrema carminis pars nobiscum facere videtur, in qua Caesaris obitus apertis verbis significatur. Etenim insignis ille, nam *insignem* legendum est, quis alius esse potuit, nisi ipse Caesar? Cum Caesare autem comparati tum sane, qui imperii heredes erant triumviri, certe ab Horatio appellari poterant *obscura*. Neutro enim genere, quo cum despectu quodam utitur nullos alicujus momenti homines ex universo rerum obscurarum genere distinguens, quam parum etiam tum triumviri ei cordi fuerint clarissime indicat. Unde apparet, Horatium hoc quidem carmine potissimum de necessario rei publicae liberae interitu et in monarchiae formam transitu sibi persuasisse.

Pauca jam iis respondeamus, qui quum de temporibus, quibus singula Horatii carmina scripta sint, vel cum Bentlejo vel cum Frankio consentiant, uno ore clamabunt, interpretationem nostram falsissimam esse. Damnent eam, si placet, et refellant, si possint. Tempora autem illa non ex edicto quodam a doctis viris promulgato, sed ex ipsis carminum verbis et rebus adhuc definienda esse nunc quidem statuemus. Omnes vero, qui hunc commentariolum legent, recordentur velim, Horatium procul dubio jam adolescentem lyrica carmina componere coepisse. Id autem, de quo modo egimus, reservandi duae potissimum exstabant causae, prima quod illud ob consilium, quo scripserat, Augusti tempore nemini displicere, altera quod, quamquam verbo *obscura* non satis reverenter etiam Octavianus notatus erat, tamen, qua ratione allegorice et fere aenigmatice expressum erat, neminem offendere poterat. Atque quam bene Horatius, ut id, quod sentiret, tegeret, assecutus sit, inde cuivis perspicere licet, quod ad unum omnes interpretes elusit. Ceterum putaverim carmen nostrum inter praeclarissima poetae referendum esse cum ob elegantiam pulchramque partium constructionem, tum vel maxime ob rei, de qua hic agitur, praestantiam.

Restat ut corrupto loco medeamur. Nomen enim *Taenari* librariorum vitio in Horatii libros irrepsisse videtur. Taenarus vel potius Taenarum nil nisi promontorium erat. Quomodo promontorium sedem habere potest, quum sedem soli animantes habeant? Quare Taenari sedem latine dici non posse pro certissimo habeo. Deinde quid hic quidem Styge jam nominata omnino sibi vult illius ad inferos introitus mentio? Nonne potius ipsum Orcum exspectaveris? Tum quum Taenari sedes, si quidem dicta esset, certe terrae pars esset, quid, ubi bruta tellus praecedat, illam nominare opus erat? Quae quum ita sint, non possum non putare, *Taenari* in *Tartari,* quem Horatius etiam Od. III, 7, 17 verbis *narrat paene datum Pelea Tartaro* commemoravit, mutandum esse. Tartarus autem mortuorum custos est, ut apud Tartarum eos, qui vita defuncti sunt, dicere liceat habitare. Versus nonus et decimus jam optime inter se congruunt. Poeta enim praeter tellurem flumina et praeter Orcum Stygem nominavit, ut Jupiter et omnem terram et omnem aquam concussisse videatur.

III.

Od. I, 3.

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater
Obstrictis aliis praeter Japyga,

Navis, quae tibi creditum
Debes Vergilium: finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.

Illi robur et aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit praecipitem Africum

Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriae
Major, tollere seu ponere volt freta.

Quem Mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turbidum et
Infames scopulos Acroceraunia?

Necquicquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas:
Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.

Post ignem aetheria domo
Subductum macies et nova febrium
Terris incubuit cohors
Semotique prius tarda necessitas

Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Daedalus aëra
Pennis non homini datis;
Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Nil mortalibus ardui est:
Caelum ipsum petimus stultitia neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

Quamquam animo praesentio, permultos fore, qui, quam infra de hoc carmine proponam, sententiam condemnantes me nimiae audaciae temeritatisque accusaturi sint, tamen id, quod sentio, in medium proferre non dubitabo. Omnes, qui huc usque de hac oda disputaverunt, mihi non ab ea, qua debebant, parte rem aggressi esse videntur. Neque enim in eo haesitandum erat, quis esset ille Vergilius, quem Athenas proficiscentem Horatius precibus suis prosecutus sit (neque enim quisquam alius esse potuit, nisi ipse clarissimus ille poeta Vergilius) neque ob Frankii nimis angustas temporum Horatianorum carminum definitiones de anno dubitandum erat, quo ille id, quod ab Horatio commemoratur, iter Athenas fecerit. Confidenter igitur pronuntiare audeo, nihil fere in hoc carmine profici posse, nisi prius exploratum sit, num duae illae partes (vv. 1—8 et 9—40), quibus illud constare omnes fere intellexerunt, sano modo in unum corpus conjungi potuerint. Nam quum maxime consentaneum sit, Horatium ei legi, quam omnibus et pictoribus et poetis tanquam primariam in ipso artis poeticae suae prooemio praescripsit:

Denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum,

pro virili parte satisfacere studuisse, critico sane cavendum erit, ne nimia religione captus ea, quae nescio quo casu nunc temere in unum conflata sunt, tanquam poetae consilio ita conjuncta intacta relinquat. In quorum numero sunt duae illae partes, in quas carmen supra typis excusum discerni solere modo diximus. Quare nobis persuasimus, carmen illud non unum, sed duo separata fuisse. Quod ut evincamus, non id nobis negotium facesset, ut probemus utrumque totum aliquid per se esse omnibus suis numeris et partibus expletum. Quod quo facilius intelligi possit, unumquodque separatim infra et exhibebimus et explicabimus. Hoc facto, cur id fecerimus, argumentis confirmabimus.

I.

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater
Obstrictis aliis praeter Japyga,

Navis, quae tibi creditum
Debes Vergilium: finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.

Hoc carmine amoris ac venustatis plenissimo, quod brevitate sua animos legentium mirum in modum allicit ac tenet, Horatius Vergilio suo ea, qua in tali amico decebat, cura ac sollicitudine ita, ut nihil omnino desideres, valedicit. Neque vero ipsum poetam, sed navem, quae illum Athenas portatura erat, poetico modo ita alloquitur, ut fere amavisse videatur pro dilectissimo quoque vota faciens non ipsum, sed eos alloqui, in quorum tum maxime potestate essent. Neque difficile erit invenire, qua occasione oblata parvum hoc odarium confecerit. Veri enim simillimum est, eum Vergilio usque ad maris litora comitatum esse. Jam in eo erat, ut navis, quam Vergilius conscenderat, solveretur. Horatius autem in litore stabat tum magis navem quam ipsum Vergilium in conspectu habens. Hoc puncto temporis paucis, sed gravissimis verbis navem se commonefacientem fingit, quam carum pignus ei crediderit, quod ut conservet cupidissime exoptat. Sed ut Vergilii salus in salva nave, navis salus in deorum auxilio posita

erat. Navis igitur ipsa, ut a diis servaretur, quam maxime optare debebat. Adverbii igitur *sic* usus tantum abest, ut ad foederis alicujus rationem accedat, ut potius in officio atque urbanitate quadam niti videatur. Nam quid urbanitatis leges magis flagitant, quam ut, priusquam ipse quid ab aliquo petas, huic omnia bona a diis preceris itaque primo loco ejus saluti, a quo quid poscis, deinde tuae vel ejus, pro quo poscis, prospicias. Quare *sic* hic nihil aliud est, quam *quum res ita se habeant, ut deorum auxilio ac regimine egeas.* — Interpretes multum de verbis *finibus Atticis* disceptaverunt idque injuria, nam illa nihil sunt nisi ablativi loci, qui dicuntur, significantes, ubi navi Vergilius esset reddendus. — Postremum neminem offendere potest, quod hoc carmen non nisi octo versus complectitur; nam aeque brevia sunt carmina I, 11 et 30 et 38; III, 22; IV, 10. Item ne minimum quidem scrupulum cuiquam id injicere potest, quod nullum eorum carminum, quae modo laudavimus, eodem metro compositum est. Neque enim unquam audivimus propter metrum aliquod carmen ullum certae longitudinis esse debuisse. Ac, quod nos restituimus carmen, ne Meinekianae quidem stropharum legi repugnat.

II.

Illi robur et aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit praecipitem Africum

Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriae
Major, tollere seu ponere volt freta.

Quem Mortis timuit gradum?
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turbidum et
Infames scopulos Acroceraunia?

Nequicquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas,
Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.

Post ignem aetheria domo
Subductum macies et nova febrium
Terris incubuit cohors
Semotique prius tarda necessitas

Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Daedalus aera
Pennis non homini datis;
Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Nil mortalibus ardui est:
Caelum ipsum petimus stultitia neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

Hoc alterum carmen, quod simili modo incipit ac decimum tertium libri secundi, cujus haec sunt prima verba

Ille et nefasto te posuit die,

utrum tantum generales quasdam cogitationes proferat an singulari casu aliquo respecto editum sit, difficile est exploratu. Minus autem difficile est cognitu, quam poeta, quum illud scriberet, de hominum vita opinionem habuerit. Duae enim apud veteres exstabant de hominum vita ac studiis opiniones, plane inter se contrariae, quarum ex altera omnia, quae sunt, in hominis usum creata, ex altera hominum studia ac opera in angustissimos fines coercita esse putabantur. Hae opiniones in duabus diversis de deorum in homines benevolentia nitebantur sententiis, quarum ex altera dii generi humano amicissimi esse existimabantur, ex altera invidiosissimi quarumque altera liberior magis hominibus agendi studiosis, qui jam aliquid in vita profecerant, altera superstitiosior quietis amantibus, qui vel prava voluerant vel, quae voluerant, assequi non potuerant, convenire solebat. Hanc

superstitiosiorem sententiam, quod mirari possis, Horatius, in quem tantae segnitatis crimen cadere non videatur, hoc carmine secutus est. Quamvis multum habeat et delectationis et utilitatis inde a fabula de Promethei furto ab Hesiodo tradita opiniones illas per antiquitatem persequi, tamen hic eo contenti esse debemus, ut, quam vim superstitiosior illa in opinionem de hominum peccatis habuerit, breviter quidem eloquamur. Ex illa enim homines eo peccant, ut fines sibi a diis invidiosis praescriptos ea, qua utuntur, libertate abusi intemperantiaque ac superbia abrepti impie ac stulte transgrediantur. Propter ejusmodi scelera et Jovi continuo munere puniendi fungendum est et homines sibi ipsi interitum parant.

Sed redeamus ad carmen nostrum, quod in duas partes dividere licet, quarum altera vv. 1—12, altera 13—32 complectitur. Hac posteriore parte poeta exponit, hominibus mari (13—16), igni (17—25), aere (26. 27), tartaro, imis terrae partibus (28), coelo, summo deorum in aethere domicilio (29. 30) interdictum esse. Hanc interdictionem poetico modo variavit. Hominem, inquit, deus ab alienis terris eo removit, quod Oceano terras abscidit, ab aere eo, quod illi pennas non dedit, ab Acheronte eo, quod interiore terra clausit, ab igne, quod in coelo celavit, a coelo, quod in aethere collocavit. Eodem modo poeta hominum peccata variis nominibus exornavit, quod demonstrant verba *impiae rates*, *fraude mala*, *stultitia*, *nostrum scelus*. Similiter diversa poenarum a diis adhibitarum genera distinxit, velut maciem, novam febrium cohortem, leti necessitatem, Jovis fulmina. Item diversa nomina hominis actionibus indidit; homo enim non tangenda vada ratibus transilit, omnia perpetitur, per vetitum nefas ruit, aera experitur, Acheronta perrumpit, ipsum coelum petit.

Priore carminis nostri parte poeta exsecratur audaciam ejus hominis, qui primus navem mari commiserit. Quod propterea fecit, quod per totum hoc carmen de hominum peccatis agit, de quibus dicere non potes, nisi etiam vim exempli respicias, quo omnium maxime homines et in vitia pellici et ipsorum scelera excusare solent. Natura autem rei, quam Horatius hic tractabat, factum est, ut uberius in describendis maris monstris et periculis versaretur. Quae in hunc finem attulit, potissimum ad mare Hadriaticum pertinent, velut Notus, Hadriae arbiter, et Acroceraunia. Unde apparet, poetam casu quodam ad mare illud pertinenti et ad generales illas sententias et omnino ad hoc carmen impulsum esse. Itaque mihi verisimillimum est, Horatium ipsum in illo mari tantum quondam periculum subiisse, ut maris adeundi desiderium tum quidem, ubi fluctus salvus effugerat, in posterum plane abjecerit. Quod re vera factum esse ipse testatur Od. III, 27, 18 sqq.:

Ego quid sit ater
Hadriae novi sinus et quid albus
Peccet Japyx

et Od. II, 6, 5 sqq.:

Tibur Argeo positum colono
Sit meae sedes utinam senectae,
Sit domus *lasso maris et viarum*
Militiaeque.

Atque quum de tempore, quo Horatius in illud mortis periculum adductus fuerit, multum sit dubitatum, mihi alteram illam carminis partem respicienti, qua in omnem hominum audaciam invehitur, credibile est, illud periculum poetam post pugnam Philippensem perpessum esse. Duae igitur causae exstare poterant, quod et in primum nautam et in omnem hominum audaciam inveheretur. Nam sic statuerim. Horatius, quum post pugnam Philippensem per mare Hadriaticum fugeret, fortasse prope Acroceraunia in summum vitae periculum adductus est. Sane igitur, quum se haec mala ob insanientem illam sapientiam, de qua supra diximus, perpessum esse intellexisset, habebat, cur in fine carminis quereretur:

neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

Quid? quod verbo *stultitia* (v. 30), insanientis illius sapientiae simillima, errorem suum apertius etiam significasse videtur. Ac si verum est, quod supra proposuimus, Horatio Brutum et Cassium quasi Titanum aemulos quosdam visos esse, haud temere poeta haec verba in fine carminis sui posuit:

Caelum ipsum petimus stultitia.

Nam qui iis reluctatur, quae deorum voluntate geruntur, quasi ipsum coelum expugnaturus videri potest. Quare, quidcunque statuas, hoc certissimum erit, Horatium tunc quidem, quum hanc odam scriberet, omnis fere actionis taeduisse. Comprobatur igitur etiam Horatii exemplo, superstitiosiori illi opinioni inprimis homines defessos et post res vel infeliciter vel stulte gestas tranquillitatis studiosos indulgere solitos esse.

Sequitur ut Meinekium refutemus, qui vv. 9—12 tanquam spurios uncis inclusit. Secutus autem est in hac re Peerlkampium, ratus argumenta ab illo allata a nemine adhuc infracta esse. Quare hic quidem opus erit cum ipso Peerlkampio, omnium criticorum maxime temerario, paullisper agere. Offendebatur autem ille inprimis versu *Quem Mortis timuit gradum* et verbo *Acroceraunia.* Sed, quantum video, quatuor illos versus propterea, quod eos recte interpretari non potuerat, suspectos reddidit. Neque enim *quem* est *qualem* nec repetitum illud *qui* nominativus masculini generis pronominis relativi ita, ut tres posteriores versus subjectum contineant, quod ad versum *Quem Mortis timuit gradum* cogitandum sit. Immo potius poeta suam de primo nauta orationem etiam in hos quatuor versus ita traduxit, ut in iis quoque primus ille nauta sit subjectum. *Qui* vero vetus illud adverbium est, quo Horatium saepius usum esse ex Verburgiano indice cognosci licet. Jam singulos versus explicemus. *Quem Mortis timuit gradum* significat *nullum Mortis gradum ille timuit*, id est, qui mari adeo periculoso tempestatibusque obnoxio navem committere potuit, illum, ubicunque Mors eum antea aggressa fuerat, adeo impavidum factum esse necesse erat, ut omnino Mortem jam non timeret. Tres autem reliquos versus ita interpretor: Quo modo siccis oculis monstra, fluctus, scopulos videre potuit, id est, nullo modo fieri potuit, ut siccis oculis horrenda illa videret. Neque vero est, quod moneas, verba *siccis oculis*, in quibus nihil est, quod offendat, etiam ante verba *mare* et *infames scopulos* repetenda esse. Horatius igitur, quod ab initio dixit, audaci illi homini robur et aes triplex circa pectus fuisse, hic alio modo uberius expressit. Quam ubertatem caveas, ne in suspicionem voces. Nam qui totus terroribus periculorum maritimorum eo, quo hic quidem Horatius, modo repletus est, eum sibi in describenda primi nautae audacia, qua suam ipsius tecte significabat, vix satisfacere potuisse facillime ignoscemus neque in iis versibus offendemus, quibus locus nominatur, ubi ipse tanta pericula subiisset. Itaque si cognoverimus, quam bene illi versus cum toto hoc carmine congruant, non inde temere cum Peerlkampio negotia nobis facessemus, ut *qualem* de genere Mortis gradus seu consueto seu celeriore interpretemur, quod, ut fiat, nulla hic cogit necessitas. Item nego exstare, cur in addito nomine Acroceraunia offendas. Comparent ii, qui hunc Horatii locum legent, nostrum dicendi usum, quod si fecerint, cognoscent aptissime Acroceraunia addita esse. Nam hoc verbo optime festinans illa indignatio Horatii depingitur, qui prius, qualia sibi Acroceraunia visa sint, dicit, quam ipsa nominat. Non errabis, si post *infames scopulos* tale quid atque *quos ego novi* cogitando interposueris. Acroceraunia vero Horatium ideo, quod hoc nomen nisi apud Ovidium et Plinium non inveniatur, dicere non potuisse, nemini persuadere poterit Peerlkampius.

Restat, ut de adjectivo *dissociabili* aliquid moneamus. Dissociabilis autem secundum leges linguae Latinae is est, quem sociare difficile est, id est, quocum, quod tibi inimicissimus sit, foedus inire non potes. Simillime Schillerus noster dixit:

Wie das gemüthlos blinde Element,
Das furchtbare, *mit dem kein Bund zu schliessen.*

Postquam duo illa carmina explicavimus, in quae, quod nunc est tertium libri primi, divisimus, argumenta nobis afferenda sunt, propter quae diremtionem illam instituimus.

Primum ex iis, quae supra diximus, luculentissime apparuerit, duobus illis carminibus non unum, sed duas inter se plane contrarias res easque prorsus diversa ratione tractatas esse. Quodsi re vera unum erant carmen, quidni neque navis illius neque Vergilii in posterioribus versibus rursus mentio facta est? Sine dubio, quod, quae poeta de illis dicturus fuerat, versu octavo jam absolverat. Quam autem ineptum esset, si Horatius, quum Vergilio valedixisset, forsitan se solum in litore stantem istamque longam orationem habentem finxisset! Deinde quid ad Vergilium, cujus integritas omnibus notissima esset, terribiles illae poenae et scelera pertinebant? Nonne accommodatius erat, si eam, quam Od. III, 2, 26 sqq. pronuntiavit, sententiam

vetabo, qui Cereris sacrum
Volgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus fragilemve mecum
Solvat phaselon: saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum

persecutus esset. Neque enim Vergilio, quod ipse nescio quae horrenda scelera commisisset, sed quod forsitan cum improbo quodam eandem navem conscendisset, ob audaciam hominum timendum erat. Sed per totum carmen nusquam improbi a probis discernuntur. An Vergilium poeta risu dignum eo reddere voluit, quod illi tam breve iter maritimum facturo, quod innumeri jam ante eum fecerant et saepissime quidem nullo modo violati, pericula et horribilia maris enumeravit? Id quod omnium minime crediderim. Denique quo modo preces illae, quibus poeta carmen suum exorditur, cum illa deorum invidia congruunt, in qua alterum, quod nos effecimus, carmen nititur? Nam qui ab initio nominati sunt dii nautarum sunt tutelares. At secundum superstitiosiorem illam sententiam, hominibus elementis interdictum esse, omnino tales dii esse non possunt. Atque si erant hominumque preces exaudiebant, quid erat, quod tam vehementer de periculis maris quereretur? Aut quid proderat illos invocare, si ob scelera commissa Vergilio Jovis ira nihilominus erat timenda? At invocavit illos poeta auxiliumque ab iis exspectavit. Quo ostenditur, etiam Horatium, ut fere omnes veteres, inconstanter hoc carmine liberiori, illo superstitiosiori sententiae indulsisse neque, qua ratione ambae conciliandae essent, invenisse. Conciliatae autem sunt in perpetuum a Christo, vero et unico pacis hominum cum Deo reconciliatore.
